DE

HOMINIS EVOLUTIONE ET INVOLUTIONE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHYSIOLOGICO-MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VI. MENS. MARTII A. MDCCCXXXIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JULIUS LIPPERT

MEGALOPOLITANUS.

OPPONENTIBUS:

M. EULENBURG, MED. ET CHIR. DR.

H. BEREND, MED. ET CHIR. DR.

W. WOLFF, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

MATRI CARISSIMAE

FILII PIETAS.

Hominem, haud secus ac omnia corpora organica ab exordio, simulac mixtio formaque, i. e. materies, per coitum sunt datae, innumerabiles inire transmutationes jam inter omnes constat. Quae quum ita comparatae sint, ut partim occultae semperque nos latentes ad sempiternam materiei vicissitudinem sint referendae, neve usque ad mortem esse desinant, partim manifestiores apertioresque certa observent stadia; alteram omnibus in hominibus periodum esse necesse est, qua homo culminis gradum nactus, perfectionem quam maximam consecutus sit, quam evolutionis periodum nominamus, alteram vero, a qua inde vires magis magisque labefiant, quam regressionis sive involutionis periodum appellamus; quamquam inter utramque periodum virium functionumque defectio sensim et paulatim succedit, nullo modo autem iis assentiri possumus, qui esse aliquod quasi justitii stadium censeant, quo corpus in floris fastigio aliquamdiu perseveret, metamorphosi ad regressionem statim non procedente, quod vero organicae naturae omnino repugnaret.

Organa, quae antea vegetantem modo vitam agebant, neque adhuc ullis functionibus praeerant, sed non nisi adsunt, ut eorum usus, quemadmodum postuletur, promoveri queat, unaquaque sic dicta evolutionis periodo ad cooperandum excitantur. Quae quum et sensim minusque manifeste, et violenter repenteque appareant, totus organismus in sympathiam adducatur oportet, ut harmonia, quotiescunque haec fiunt, toties turbetur, et virium turgor vel tensio inter sese commutetur. Quo vero plura organa in actionis statum inducuntur, eo magis totum afficitur corpus, major incitabilitas ejus fit, et eo magis timendum est, ne quid detrimenti incommodique e naturae rerumque externarum contactu capiat, et ad morbos propensius evadat. Organorum et systematum functiones vitales certo ordine et successiva ratione, prout organismus iis utitur, sese manifestant; quamvis sint, quorum periodi, caussis occasionalibus obnoxiis illatis, solito tardius aut citius provocentur.

Quoniam vero unicuique organo certa quodammodo vis a vegetatione petenda est, fieri non potest quin, si acceleretur aut tardetur, semper magnae toti corpori perniciei sit; omnia autem adeo inter se cohaerent, ut aliud alii aut damno aut usui sit, quare alio organo oriente, aliud ex organorum serie agente evanescere, quo illud exsistere possit, necesse est. In periodo, si ad singulas mutationes non respiciamus, est aliquod semper systema, quod ceteris praevalet, quod iterum, alia periodo provocata, ab imperio quasi amovetur. Nihilominus autem

cunctae organismi vires tanto in connexu, et tanta in tensione, quamvis inaequaliter divisa, prout minoris aut majoris momenti sunt, versantur, et, haud aliter ac in civitate turbida, alia aliam evolutionem excipit.

Una cum commutata organi actione, etiam materiam alia indui forma videmus, quae, majore humorum affluxu facto, nutritione uberiore, amplificata vasorum agitatione, et elatiore sensibilitate praedita, evadit. Dum igitur in nova periodo nova semper organa cum nova forma ad principatum quasi perveniunt, quem cetera aequo animo non ferunt, fieri non potest, quin haec harmonia turbata uniuscujusque morbis propriis ansam det, infantum igitur aliter ac adultorum morbi appareant.— Quae phaenomena generatim in omnibus evolutionibus conspicari licet, quae, prout plura organa unaquaque periodo novae actioni adducuntur, et valetudinis conditio diversa est, non semper pariter sese manifestant. Sunt valetudines adversae, quae nullis medicamentis avertendae, novae initio periodi, cum, quod ipsae prodromi ejus fuerunt, tum, quod corpus excitatum, ejusque reactio hoc tempore aucta est, facile natura medicatrice evanescunt.

Maximi momenti mutationes gravissimasque foetu nascente animadvertimus, et operae pretium facturus esse mihi videor, si, priusquam ad mutationes ipsas describendas accedamus, paucis foetus status qualis sit praemisero.

Quum in adulto tres vires principes esse intelligimus, reproductionem, irritabilitatem, sensibili-

tatem, quae invicem inter se aequilibritatem servant, et in quarum aequaliter diffusa tensione, diversa et modificata secundum aetatem, valetudinis prosperitas posita est: ovum et foetum vegetativam fere solam vitam degere videmus. Metamorphoses, quae ab ovo in foetu nobis occurrunt, cum variis, ab infimis usque ad summas, animalium classibus, si ad fabricam vel constructionem, qua praedita sunt, spectas, comparari possunt, quamquam nullo modo neque ullo tempore foetus his classibus adnumerari potest, quoniam semper ad hominis naturam et materies et nisus formativus vergunt; hoc tantum contendere licet, hominem, quod ad eum excolendum pertineat, status formationis ratione habita, cum quadam animalium classe conferri posse, donec permultis progressionibus atque evolutionibus, subtilissimaque organisatione facta, eo perfectionis provectus sit, ut omnibus ceteris animalibus facile antecellat. — Uterus, placenta foetusque tali in conjunctione inter se cohaerent, ut, si ad formationem et eorum incrementum respicias, uterus tribus mensibus prioribus prae ceteris crescat, proximis tribus mensibus placenta in incremento sit (quae ab initio justo citius exculta, abortum interdum efficere potest), supremis vero omnem diligentiam fructui excolendo natura adhibeat, hoc domicilio ab incitamentis externis eum tutum praestans. Ovum, postquam ab utero separatum est, et alienum quasi corpus eum aggravavit, ab utero depulsum, doloribus ex partu apud matrem praecedentibus, ad lucem prodit. Usque ad hoc tempus foetus nonnisi vege-

tativam degit vitam. Calorem, quem a matre antea accepit, quod unde gignat eum deficit, nunc sibi ipse comparare cogitur, pulmonum usus, cor, nutritio mutata, cutis, hepar, cerebrum: haec omnia magnopere egent excultione et functionis mutatione, quae breviter describere animus me fert.

Pulmones, simulac os in contactum cum aëre venit, ad actionem impelluntur. Infans, insolito incitamento cuti pulmonibusque illato, exclamare incipit, et inspiratio et exspiratio oriuntur. Ex oxydatione, ut sanguis cum atmosphaera quasi in pulmonibus communicatur, proficiscitur calor, simulque discrimen inter sanguinem arteriosum et venosum, quum post partum foramen ovale et ductus art. Botalli clausus sit, clarius elucet; ante partum vero propterea haud magnopere sanguis arteriosus et venosus se differunt, quod per foramen ovale praesertim directa exstat communicatio, et quod sanguinis in placenta oxydatio exigua tantum est. Foraminis ovalis et ductus art. Bot. inclusio sensim sensimque progreditur, attamen, quamquam usque ad inclusionem sanguini nullum est impedimentum, quin priorem, quem ante partum habuit, sumat decursum: quum vi dynamica chemicaque propter aëris aditum varietur, utrumque sanguinis genus in separatione permanet, et accedit, quod sanguis, cordis impulsu adjectus, haec foramina praeterfluere et discrimen acceptum conservare potest. Sin autem respiratio aliqua caussa turbata est, neque exspiratio inspiratioque sibi respondent, sanguinis discrimen exi-

guum, calor extenuatus est: facile morbus coeruleus, lipothymia, asphyxia, mors invadunt.

Nutritio. Ex uteri vasis exhalantibus, inter eum et placentam succus lacteus effunditur, qui secundum Hildebrandt et Blumenbach a placentae vasis resorptus, et embryoni adductus, ab organismo ipso in sanguinem commutatur, quum liquor amnii id tantum agit, ut fructum a conquassationibus tutum praestet, et haud minus ovum quam uterus pariter extendatur. Praeterea Haller eidem opinioni consentiens, sanguinem per venam umbilicalem ductum, multum ad nutriendum foetum conferre, et e liquore amnii paulisper resorberi, putat. Quum vero, secundum injectiones a Wrisberg (not. 185. ad Haller. prim. lin. phys.) feliciter factas (quamvis Meckel matri injectionibus factis, materiam in foetum transiisse contenderit) perspicuum sit, nullam inter uteri placentaeque vasa anastomosin exsistere, semper autem succum lacteum hic inveniri, raro sanguinem: ipsum foetum per se agere dubitari non potest. Sunt praeterea, qui nutritionem foetus variam esse secundum varias evolutiones putent; quod Walther accuratius exposuit. Usque ad partum igitur inprimis vasis lymphaticis nutritio paratur, quae materiam adductam aptam reddunt. Post partum lac, victus novus, oris, oesophagi, ventriculi, intestinorum auxilio eget. Quae corpori assimilanda non sunt, ea diversis viis, per anum, renes, cutem, pulmones excernuntur, quae assimilanda, majores per circuitus quam antea, ad nutriendum corpus consumuntur. Quae functiones

quum novae sint, facile fieri potest, ut, nisi victus infantili aetati accommodatus aut si major est, quam quem ferre possit infans, colicae, vomitui, diarrhoeae, cardialgiae, pyrosi, aliisque morbis ansam dent. Semper igitur victus organismo et individualitati et aetati accommodandus est.

H e p a r. Gravissima ejus sine dubio functio in foetu nondum satis clare explorari potuit, quippe quod in adulto, cum ad bilem parandam, tum ad decarbonisationem et dehydrogenisationem perficiendam pertinere videatur. Illud summi esse momenti, id nobis argumento est, quod una cum cerebro, antequam cor, apparet, et quo foetus junior. eo majus est. A septimo inde mense magis magisque extenuatur, et, si P o r t a l e m auctorem sequimur, magis ad sinistrum latus, ubi major est venae umbilicalis ramificatio, sanguinis vero per eam non jam tanta copia ducitur. Secundum H a l l e r hepatis auxilio, cum omnis sanguis, qui organismo invehitur per venam, in id organum veniat, sanguinis impetus ad cetera organa coërcetur. — Post partum vasa umbilicalia et ductus venosus Arantii clauduntur; ex illis fit ligamentum teres, ea vero ductus pars primum clauditur, quae ex vena umbilicali oritur, postremo ad venam cavam posita. Sanguinis circulo mutato, hepar alias recipit functiones, quum loco meconii, bilis secretio augeatur; decarbonisationem et dehydrogenisationem curat, et fit organon abdominis quasi purgans. Ex laesa ejus functione facile icterus neonatorum et indigestio proficisci potest; qui

vero icterus ex consensu hepatis cum cerebro in partu laeso declarari interdum licet.

Cutis. Usque ad partum vasis resorbentibus e liquore amnii resorbuit, et hoc modo nutrimenti partem assimilationi aptam corpori adduxit cutis; neque vero exhalationis functionem ei adscribendam esse puto, cum ne in ullo quidem organo, hepate excepto, egestionem vel excretionem animadvertamus. Post partum etiam perspirat, haud aliter ac renes et intestina functionem incipiunt, quibus cum organis aliisque systematibus sympathia e laesa functione elucet. Praeterea, dum ad cerebrum incitamenta ducit, reactionis vim coenaesthesinque praestat.

Cerebrum in foetu organum omnino vegetativum, post partum non solum sensibilitatis organum centrale repraesentat, sed etiam animi facultates magis magisque excoluntur. —

Jam a germine, a procreandi felici et apto momento, a parentum mutuo amore eorumque valetudine, in concubitus actu praesertim viri, postea vero feminae, civis futuri pendet salus. Quodsi his conditionibus est satisfactum, si omnes permutationes antea nominatae feliciter procedunt, si irritabilitas et sensibilitas reproductioni cum vegetatione terminos ponunt, quivis igitur horum factorum non majoris imperii, quam esse debet, particeps fit: nullum est impedimentum, quin et infantis et adulti valetudo, nisi serius peccetur, sit confirmata.

Ceteris prae viribus vegetationem etiam porro summum imperium obtinentem videmus, qua corpus tutum praestetur et corroboretur, ut pugnis ab ir-

ritabilitate et sensibiliate, quae magis magisque innituntur, paratis resistere possit. Ubi vero utraque vegetationem ante tempus deprimit, organisatio illa perfecta non est reperienda, quam in homine sano cernimus. Ex his incommoda apparent, quae praematura animi contentione, (qua sensibilitas, ante tempus justum provocata, reproductionem et irritabilitatem reprimit, propterea magna incitabilitas corporis etc.) motione fortiori (ubi irritabilitas nimis excolitur, vegetatio praesertim detrimentum capit, igitur orgasmus, debilitas etc.), somno nimio (quo vegetatio nimia alias vires reprimit, igitur languor, formationes luxuriantes etc.) aut parciori (quo corpus tantas, quantis organa sempiterna actione nimis incitata egent, vires comparare non potest; sensibilitas augetur, dum utraque vis reprimitur, quo magna corporis oritur incitabilitas) proficiscuntur.

Tardiores igitur modo quam antea vegetatio progressus facere potest, et homo, quod ad perfectam suam formationem attinet, longiore gaudet pueritia et juventute, quam plurima animalia, quae a partus momento, quo citius crescerent, eo celerius perire, quo vero diutius et in utero essent et post partum minori gradu crescerent, eo diutius quoque vivere, rerum naturae periti observavere, ita, ut jam ante partum individui vitae tempus indicare videatur natura.

Usque ad dentitionis periodum functiones illae nominatae majorem accipiunt perfectionem, praesertim vero cerebrum cum sensibilitate sensibusque

internis evolvitur; coenaesthesis igitur actiones, serius olfactus, quam ceterorum vestigia observamus, et quo tardius, nempe ad aliquem gradum, eo minus reproductio in his partibus se firmans, infantis valetudo, in periculo est. Renes succenturiati contra et glandula thymus, qui quid agant nescimus, corrugantur, et dum mensis sextus, septimus, octavus progressus est: tanquam, si princeps, jam antea imperator, coronam sibi imponit, dentium evolutio huic periodo fines terminosque constituit. Sed magna infanti contra stimulos externos incitabilitas inest atque manet, qui ad reactiones vehementiores organismum facile provocant; quae incitamenta in adultorum organismum firmum et solidum, homogenea, vim salubrem habent, et assimilantur, in tenerum vero infantem, heterogenea, vim noxiam exercent; assimilandi facultas, magna virium consumptione exhausta, succumbit, quae igitur ad adultorum organismum firmandum adjuvant, ea infantilem perdunt, dum stimulorum cum vi reactionis pugna non est justa et par. Nervorum et vasorum sanguiferorum systemata modum facile excedunt, itaque spasmi et inflammationes vulgares sunt infantium morbi, qui celeriter, ut venerunt, evanescunt, aut in sanitatem aut in mortem transeuntes, et ut tertia hominum pars jam in incunabilis pereat, efficiunt. Reproductionis morbi non tam celeriter evanescunt, sed sensim sensimque ni arte vel alio systemate, serius evoluto, consanescant, infantis salutem exstinguunt. Propter partium externarum motionem deficientem, quia cum interna-

rum magis dynamicarum motione non adest aequilibritas, inquietudo praedominat, et neque, quin cunae moveantur indormiunt infantes, quae, si leniter agitantur, motiones uteri oscillantes supplent, si fortius, ad exteriores partes vim vitalem magis illiciunt, qua re inquies interna quasi antagonistico modo diminuitur; summo gradu majorem ad cerebrum sanguinis impulsum, quia generatim circulus augetur, et statum soporosum, qui in veram apoplexiam transire potest, efficiunt.

Sicuti cum quavis evolutione, etiam simul cum hac periodo morbi conjuncti esse possunt, qui vel accedentes vel organorum contentione morbosa effecti sunt. Nullo modo ipsa dentitio unicum est momentum, quod eorum sit caussa, uti non sola est hujus periodi evolutio, sed totius organismi altius evoluti, qui solidioris nutritionis desiderium et assimilandi capacitatem nactus est, signum et specimen; ventriculi igitur, intestinorum, hepatis, quod attinet ad bilis secretionem, systematis lymphatici functiones mutatae sunt. Semper morbum agnoscere in dentium eruptione aeque est falsum, ac unamquamque evolutionem necessariam morbum nominare; saepe sine ulla molestia erumpunt, quamvis, si caussae peculiares adsint, morbosa fieri, et alia organa, quae cum hac evolutione conjuncta non sunt, si normaliter procedit, in sympathiam trahere possit. Simul irritabilitas progreditur, et humorum ad cerebrum et caput impulsus, ut celeriter hae partes evolvantur, efficit; partim igitur actionum cerebri, laetitiae, euphoriae, attentionis animi

vestigia apparent, partim cranii forma mutatur. Pars media non tam prominet, et frons fit latior, et fontanellae ossificant.

Morbi,qui his processibus antea nominatis evocantur, sunt: Hydrocephalus acutus,tinea capitis, crusta lactea, ophthalmiae, helminthiasis, rhachitis, in universum morbi, quos partim ex humoribus nimiis versus caput urgentibus procedere oportet, partim quorum caussa in assimilatione corrupta posita est. Ubi vero ex ipsa evolutione ad aliquam partem congestio jam adest, ibi incitamentis externis facile augeri potest. Sic, ut afferam exemplum, si cerebri vires et actiones nimis excoluntur, et infantes, huic culturae praematurae subacti, ut mundo miraculum ostendant parentes, ab his praeterea magis intenduntur, quod ad majorem congestionem ansam dat: saepe hydrocephalus acutus oritur, qui, ubi nimius impulsus jam adest, si in cerebrum incitamenta ademta, saltem aucta non essent, impediri posset; ubi vero tales evolutiones tardantur, organorum actio augenda est, et sic evenire potest, ut, ubi diutius vegetativum modo organum maneat, et culturam internam natura negligat, incitamentis externis ad animi facultates evolvendas cerebrum sit excitandum, ut aut hic aut illic vegetationi diminutae vel auctae fines constituantur. Tanquam horae matutinae infantiae anni se habent; in his et illis corpus et animus magis assimilant, in his et illis facilius discimus, et quae pueritia collexerit, eorum recordabitur senex.

Ab hac inde periodo leniter progeditur meta-

morphosis et quo a partu infans remotior, eo minus incrementi capit. Arteriositas sensim sensimque venositatis imperio potitur, et propter accrescentem pulmonum actionem major efficitur calor. Sensibilitas quoque, et animi facultates excoluntur et firmantur; et infans, postquam ire, loqui consuevit, gradatim omnium evolutionum gravissimae adducitur, pubertati. Sed anno septimo vitae dentes primarii excidunt, locum firmioribus cedentes, quos (ab anno decimo septimo usque ad quadragesimum sextum vel tardius) praesertim vicesimo tertio anno duo dentes, quos vocant sapientiae, sequuntur. Rarissime vero accidit, ut vel circiter annum septuagesimum dentitionem tertiam perfectam in senibus inveniamus, quae ultima hoc a prioribus differt, quod nulli amplius evolutioni senem adducit, et molestiae, quae in his egerminandis saepe adsunt tantum e hoc morbo locali originem ducunt. Hoc tempore corpus maxima incrementa capit, cum propter irritabilitatem pulmonumque actionem procedentem, circulo sanguinis aucto, materia lymphatica, ad firmandum corpus ejusque incrementum destinata, a cruore facilius separetur; etsi humorum ad cerebrum turgescentium signa fere nulla adsint, propterea tamen secretiones sursum auctas, praesertim salivae, lacrymarum, narium pituitae, invenimus, quo vero fortior circiter hanc periodum finitam, et aliquantum tardior fit pulsus, eo minus incrementi procedere solet, et secretiones antea nominatae vel diminuuntur, vel desinunt. Neque vero corpori, ut majus fiat, sufficit, sed robur ei inesse oportet,

ne vegetatio illud exhauriat, ad quod firmandum corroborandumque exercitationes gymnasticae, non solum hac aetate, sed etiam provectiori, quoad vires excolendae sunt, plurimum conferunt.

Evolutio illa, quam pubertatis nomine amplectimur, tantam in organismum vim exercet, ut vix ulla alia reperiatur, quae cum illa sit comparanda. Puer, qui securus et ferox, ludis se dabat, eum juvenem reperimus alacrem, hilarem; puella, quam honestatis praeceptis nondum valde imbutam, non modestiorem reliquimus, nunc fit virgo casta, pudica; quae duo genera usque ad hoc tempus non magnopere inter se differebant, puellae teneriori fabrica excepta: sed educationis nostrae methodus magis est accusanda, quod puellae mores jam a nostris abhorrent, quae tamen id agit, ut officiis futuris quam maxime respondeant, et in utroque genere hoc tempore aut perfecta est educatio, aut nulla, quare nobis cavendum est, ne adolescentia ineunte, nimis eorum vitiis indulgeamus, neve dicto sint audientes. Puella non tanta, quanta juvenis gaudet juventute: nam multo breviori spatio in femina evolutio finitur, et omnia quae fiunt, magis ad systema sexuale spectant. In viro autem mutationes cum tempore tum gradu magis diffusae ac dispersae sunt, neque eo modo in systemate sexuali sunt positae, cum aliae eaedemque graviores res colantur. In utroque novae actiones et organorum functiones oriuntur, vitae vires principes mutantur, a morbis chronicis corpus saepe liberatur; organismo summa valetudinis firmitas adipiscenda est.

qua non solum resistere impetibus, sed etiam morbos invadentes propulsare possit.

Etiamsi in utroque systema genitale ad maturationem venit, mentis vires maximam perfectionem adeptae sunt, praesertim est in femina, quod maturatum, summum imperium per totam vitam obtinet; quin etiam pubertatis pathologia nobis indicio esse potest, omnes fere hujus temporis morbos, quibus feminae affici soleant, in genitalium fabricatione vitiosa, aut positos, aut in connexu quodam esse. Haud aliter morbi sequentes, usque ad mensium cessationem, ad hoc systema spectant, ita ut fiat uterus sexcentarum aerumnarum auctor. Multo rarius viris, quorum evolutiones non tanto aggrediuntur impetu, accidit, ut inprimis genitalibus morbos debeant; quamvis, quae ante tempus nimis irritant genitalia, veluti phantasiae libidinosae, morbos exhaurientes, et vitam languidam morbosam reddere possint. Irritabilitatem contra cum sequelis necessariis in viro, arteriarum de venis imperium, pulmonis extensionem, praedominare videmus; apud hos igitur ab irritabili praesertim systemate, apud illas a sexuali, diversis itineribus, et virescente et perfecta periodo, morbi proficiscuntur.

Non solum in fabrica externa, et quantum anatomia nos docet, organisationem summam et subtilissimam homo nanciscitur, sed etiam tantam mentis et ingenii perfectionem, quantam in nullo quoquam alio animali reperimus; utrique in hac periodo vis progenerandi additur. Viro tantum serendum, semen quasi in campo condendum est, quo

per coïtum facto, vir suum fecit, ut genus propagaretur; aliter in muliere res se habet. Nam est femina quasi campus qui concipit, conceptum colit, nutrit, et a conceptione usque ad lactationem finitam, feminis quantae metamorphoses pertolerandae sint, quae a conceptu originem ducunt, nos non latet; feminae igitur opera major est, et in genere propagando, et in fructu progresso. Quod vero ad excolendam mentem attinet, angustioribus vires finibus continentur. Mentis capacitates, animi vires ad mitiorem vitae domesticae et uxoris et matris destinationem accommodantur: virum summo amore amplectentes, ut vel infantibus summa pericula subire non dubitent. Animi decor et bonitas corporis speciem formosam facile obumbrat; ut modestia, clementia, pudicitia virum excellit, sic et irritabilior est et sensibilior, et educatione neglecta nullum est vitium, quod suscipere nequeat, ita ut mutabilior, morosior, vanior, sagacior, crudelior, amicitiae erga sexum fere non capax fiat. Ne usurpet virorum negotia gravia, ne eorum scientiam perscrutetur! Nam si viri rebus se immiscere vult, et in ejus provincia versari ei in animo est, actum est de officiis domesticis, quae ei curanda sunt data; et sanitati periculum imminet. Sed in viro tanta irritabilitas et sensibilitas non inest; fortior igitur, in quo anima ingenio posthabita est, amicitiae summae erga virum capax, in infantes sedatior, saepe excitatus et tunc velox, durus, sed mox desciscit ab his animi pathematibus, et ad meliores rediens fruges, magnanimior, veri amantior, facilior fit.

Sed, cum corporis, tum animi vires ad officia perficienda eum deficiunt deseruntque, qui Veneris illecebris resistere non potest, et humores ad confirmandum corpus necessarios largitur; et vir, voluptatibus venereis serviens, plus incommodi quam femina capiat oportet.

Cum ad genus humanum propagandum femina plurimum valeat, neque accelerentur, neque retardentur metamorphoses, quae ad hoc pertinent, necesse est, et praeter menstruationem cum certis conditionibus huc adnumerandae sunt: graviditas, puerperium, lactatio et denuo concipiendi facultas, quae refluxu mensium sese renunciat. Quamvis organorum necessitudo summa mutata, alienata, corpus excitatum et ad morbos proclive sit, valde tamen qui in morborum numero graviditatem referendam putent, a via recta aberrant; quas res in omni evolutione reperimus, in hac vero propterea, quod humorum ad systema sexuale turgor exstat, quibus et genitalia magis evolvantur et foetus nutriatur, in puerperio ad mammas, quibus lac secerni possit. Neque minus qui evolutionibus necessariis graviditatem adnumerant in errore versantur, quippe quae non in omnibus mulieribus adsit, quin earum valetudo turbetur; sed, quasi stimulus externus, ad hanc evolutionem provocandam, solum semen virile aptum est. Pubescit apud nos puella inter annum decimum tertium, et decimum quintum, in climatibus calidioribus jam prius: sed etiam in frigidioribus non raro partim dispositione partim irritatione nimia hujus systematis datis, et aliis ex caussis, pu-

bertas accelerari potest, et prodromis antecedentibus, mensibus se obnunciat. Una cum mensium ingressu, organa ad hoc systema pertinentia, quorum nutritio debilis antea et vegetativa modo fuit, quippe quibus ad propositum non usus esset organismus, nunc celeriter et crescunt, et fabricam mutant. Tunc demum uteri, tubarum Fallopii, ovariorum, aliarumque partium, postea nominandarum, vita vera quasi e somno excitatur, ita ut organis evolventibus, ver, retrogredientibus, hiems organismi feminei appareat. Uteri paucis vasis instructi fabrica, usque ad hoc tempus cartilaginea, cylindracea, fit relaxior, pyriformis, vasculosa, omnes partes incitabilitate et magnitudine augentur, labia vulvae pleniora, crassiora, e monte veneris efflorescunt pili crispi. Mammae tolluntur et rotundantur: papilla areola rosacea circumdata, magis eminet. Quibus momentis virium turgor modificatur, organorum cum reliquo corpore sympathia confirmatur; praesertim vero functiones, si laesae sunt, neque sic procedunt, ut solent, ad Psychen tendunt. Etiam haec periodus non solum id agit, ut mensium tantum fluxum efficiat; imo potius aeque ac in dentitione non soli dentes evolvuntur, hic quoque alia phaenomena in corpore animadvertimus, quae partim ad genitalium sympathiam referri possunt, partim ad eam reducenda non sunt. Rotunditate, teneritudine: gracilitate feminae virorum corpora praestant, quare musculorum ossiumque robur tantam perfectionem non assequitur, et feminarum nimium robur anomaliam quandam semper significat.

Sanguis, elementis et materiis superfluis abundans periodice excernitur: materia est tanquam phlogistica, inflammabilis, quae, si, ut saepius fit, in aetate provectiori demum, circiter annum decimum octavum vel vicesimum sine molestia excernitur, qui status morbosus dici nequit, efficere potest, ut talibus feminis thorax amplior, vivacitas major, adspectus et habitus virilis sint, etsi non barbatae tamen aliquid lanuginosi habeant, et in facie et in tota cute. — Praeterea pelvis ossa et volumen mutantur, ossa majora, latiora fiunt, apertura id spatium eamque magnitudinem nanciscitur, quibus ad partum opus est. Costae majorem cohibent ambitum, quo ipse thorax angustior, vel minor fit, ita ut abdominis cavum sit majus. Vox sonorior firmior, laryngis structura mutata. Una cum materie commutata, aliam quoque speciem pulcherrimam gracillimam praebet femina; et oculus vivax, ardens, malarum rotundarum labiorumque color rubescens, integritas et pudor, desiderium et quies, quae in virginum castarum physiognomia sancta exprimuntur, haec omnia et animae decor, amoris sensum et juvenis cupiditatem excitant. Neque virgo animum non attendit ad virum; etiamsi mentem sublimiorem complecti non possit, tamen, qualitatibus ejus capta, ut placeat viro studet, et virginis pudicissimae summum desiderium, sine ulla cupiditate, est virum amore amplecti, matris delicias percipere.

Facile est intellectu, quanto in discrimine individui sanitas hoc tempore versetur, quo et materia et vis dynamica tantis succumbit mutationibus;

quales morbos eorumque indoles hoc momentum efficere et in lucem proferre possit; evolutionis imperfectae, aberrationis a via destinata, sequelae tristissimae. Attamen si omnia corporis organa salva sunt, neque ulla caussa obnoxia illud afficit, maxima cum facilitate hae mutationes praetergrediuntur. Pertinent ad evolutionis morbos, qui quasi prodromi una cum feliciter finita evanescunt: Inflammationes generatim, praesertim uteri et systematis sexualis; affectiones nervosae; Chlorosis, quos in pathologia descriptos invenimus. Nonnulli morbi, e reproductione vitiosa orti, in utroque genere, arteriis meliores materias organis advehentibus, hoc tempore saepe evanescunt; formationes luxuriantes consolidantur, organa, in quibus vegetatio vitiosa vel parum progressa fuit, ad actionem normalem excitantur. Haud aliter systema nervorum a morbis liberatur, qui vel educationi vel aliis caussis originem debent, dum systema arteriarum, partim nervorum actioni, nimis auctae, fines ponit, partim in energia lapsam, validiorem reddit. Quod si nunc non fit, vel si in vitiosa evolutione morbi positi sunt: nonnulla de femina sperari licet, si nuptiis jungitur, quibus genitalia, una cum his, totum corpus fortiter excitatur.

Reproductione et plasticitate in femina praedominantibus, vegetationi faventibus, quae falso saepe desiderio rapta, in laxitatem, formationes luxuriantes transit, minus in solidiores; quae plasticae materiae abundantia, vel quasi robur superfluum aut mensibus periodice excernitur, aut ad massam or-

ganicam, rotunditatem, plenitudinem, adipem, aut post conceptionem ad foetum nutriendum adhibetur; quam non solum adesse oportet in femina, sed etiam in variis graviditatis gradibus augetur, ut infanti, incrementa facienti, necessaria fiat nutritio, sine matris detrimento: animalitas et vigor in viro praevalent. Irritabilitas, penes quam summa fere est potestas, conjuncta cum vegetatione, partium fabricam et externam et internam, solidiorem, rigidiorem, firmiorem reddit; itaque ad formationes luxuriantes non solum dispositio non est, sed potius ad robur intensivum musculorum, ossiumque vim. Sublimiores rationis vires cognoscendi, sentiendi, appetendi, explicatae ex actionibus, elucent. Gloriae honorisque, veri venustique sensus movetur; animi perturbationes et inclinationes, phantasiam, leporem moderari, necessitudini obedire, mens hominem docet; memoria corroboratur; judicio et prudentia et experientia utitur, ut varias vitae temporisque procellas devitet. Humanae naturae excellentiam et dignitatem, jus humanum cognoscit, quemvis ex virtute pendit, neque verecundans neque insolens, fronte libera veri et boni viam persequitur. Quod nunc caute et cogitate collegerit, quod nunc in intimum sparserit semen, ad gratissimum pulcherrimumque fructum in senectute ei efflorescet. Beatus ille, qui in solum integrum integrum semen sparserit, qui in futura animo sereno spectare possit!

Ad mentis vires evolvendas multum valent: ingenium et facultates innatae, educatio, disciplina, exempla, clima, temperamentum, ita ut idcirco

prius vel serius ad perfectionem veniant, aut, his omnibus neglectis, in perpetuum, a recta via deductae, in pravam vertantur. — Ad systematis sexualis evolutionem referendum est, in locis destinatis barbam, in aliis corporis partibus, subalares, in pectore, in genitalibus pilos germinare: praesertim vero laryngis structura multo major et densior fit, quam in femina, quare vox gravis, firma. — Quae vero irritabilitas, extra oleas vagans, ad morbos tristissimos, maximeque vexantes occasionem dat, quae merito, praesertim si exstat dispositio, evolutionis sequelae timendae sunt. Proclive est corpus ad inflammationes, haemorrhagias activas, vasorum sanguiferorum morbos, palpitationes, praecipue vero pulmonum, ad quos sanguinis impulsum permagnum animadvertimus, quorum functione laesa inflammationes etc. et phthisis oriuntur, quae inter annum decimum sextum, usque ad tricesimum sextum apparere solet. Nam praesertim ad pulmones sanguis urget, quia hic, haud aliter ac cute, se exonerat elementis inutilibus, mephiticis, cum eo mixtis. Si vero impediti se satis extendere nequeunt, partim propter impulsum vehementem semperque reiteratum in pulmonum cellulas sanguis excedit, haemoptysis, pneumoniae, phthisis fons. Propter sympathiam longe lateque diffusam, magnum pulmones detrimentum capiunt. Nulla est secretio, quae suppressa, pulmonum morbum efficere nequeat. Si cutis functio exhalans impedita est, vasa sanguifera in pulmonibus, loco renum vel intestinorum, si dispositio adest, a materia retenta sese liberare student. Sic

fortasse interdum, si decarbonisationis dehydrogenisationisque functionem hepar induratum, vel nimis cretum curare non jam potest, neque, quod saepius fit, alia ex hoc fonte vitia oriuntur: hanc sanguinis emendationem necessariam pulmones suscipiunt, et solito majore actione, dum praeterea asthmatici sunt homines, (propter hepatis intumescentiam pulmones quominus se extendant impediti sunt) congestiones morborum caussae sunt. Sic porro haemorrhagiae suppressae, praesertim vero epistaxis, quae ad plethorae signa prima ac pervulgata pertinet, cum narium vasa sanguifera aeque ac pulmonum, cum aëre in intimo sint contactu, suppressa, si ejus causa occasionalis porro adest, congestionibus ad pulmones actionem auctam efficit. Si vero aliquod organon jam prius morbo affectum est, hoc fieri aegrotationis focum, quasi derivationis, non mirum est. In feminis vero, ubi, ut jam memoratum, non tanta est irritabilitas, nec non uterus, partim quia vagina, cum aëre in tactu, majorem ad exhalandum planitiem praebet, partim quia ipse, maxime incitabilis ad morbos proclivis est, pulmonum actiones sustentare videtur: tales morbi non tam saepe inveniuntur, nisi forte praedispositio significata adsit.

Est vero praesertim ratio evoluta, quae hominem designat, nam ceterum est planta, et quasi planta in lucem prodit; simulac motiones voluntariae accedunt fit animal, sed homo efflorescit, si ad finem communem, ut, variis metamorphosibus factis, evolutione harmonica et apta rationis vires affir-

ment, itaque naturae hominis ideam efficiant. plantae et animalis vires sunt conjunctae. Sed in sempiterno semper vario, seque mutante, nihil resistit; individuum perire oportet, et usque ad vitae exitum metamorphoses retrogredientes sunt tolerandae.

Quae aetas media, cum omnia systemata sibi invicem respondeant, neque minus turgor accuratus aptusque ad harmoniam quam perfectissimam pariendam valeat, minus quam ceterae aetates ad morbos inclinatur; et, si usque ad proximam periodum corpus per aliquod tempus in eo summae fabricationis maximique culminis punctu remanere videtur, hoc revera non est, etiamsi in partibus exterioribus evolutio quasi stare videtur, in interioribus progreditur, ubique vix finita, sensim sensimque, sine apparitionibus eximiis, ad decrementum transit. Homo, si hoc summae et corporis et mentis fabricationis stadium, vel momentum potius, captum comprehensumque tenere posset, a senectute, debilitate, morte tutus, in portu securo atque jucundo navigaret: sed, dum aliud organum vix ad perfectionem progressum est, aliud jam sempiterna commutatione retrograditur. Quo tempore functionibus laesis vel mutatis, haec retrogradatio nobis elucet, eo senectus nobis obrepit. Quae quamvis, ab initio saltem, neque ad certos annos, neque ad certa signa in viro sit referenda, in vitae tamen ratione, individualitate, climate positum est. In muliere vero certius senectus se indicat, et cessatione quidem mensium, atque concipiendi facultate abolita: haec sunt symptomata, quae decrepiditatem significant, quod fieri

solet inter annum quadragesimum secundum usque ad quadragesimum octavum, aut ocius serius, quod vulgarem vero modum excedit, et systematis sexualis functionem extinctam in muliere toti organismo graviorem vim inferre et manifestiorem esse quam viro, necesse est, cum, ad quas curandas et implendas destinata erat, summis naturae legibus satisfacere desinit. Menses fiunt parciores, rariores, denique prorsus extinguuntur, quod si secundum naturam fit, valetudinis prosperitas non turbatur. Interdum vero corporis sanitas suffoditur; saepius enim mensium cessatione morbi, haemorrhagiae, nervorum affectiones, inflammationes, vegetationes perniciosae, in mulieres invadunt. Quarum rerum, et cessationis et morborum caussa, in hoc fortasse posita est, quod primum ad rigiditatem et torporem hoc tempore totum corpus vergit, unde etiam uteri rigiditas proficiscitur, quae simul id agit, quo hepati, lieni, intestinis, organis nunc crescentibus et urgentibus, melius resistat, simulque ex parietibus, majorem densitatem nactis, sanguis sensim minus copiosus excernitur, ita ut postremo per parietes densas et firmas nihil excerni possit. Materia vero antea excreta, ad organa, aliqua caussa prius jam debilitata, minorem quam uterus resistentiam praebentia (id est, si ad morbos hac in periodo praedispositio exstat) se rejicit, in quibus morbos antea nominatos efficit. Si omnia organa in statu sano sunt, usque ad ultimam destinationem ex utero excernitur sanguis, cujus turgor et impetus ad hoc

organon, quod praeterea incitabilitate privatum est, diminuitur, postremo desinit.

In viro decrescens genitalium functio minoris est momenti, saepe enim et seni generandi facultas inest; majoris vero systema arteriosum retrogressum, venoso cedens, cujus et vis et actio aucta, praesertim igitur venae portarum, ad quemvis morbum proclivitate se indicat, et hepatis et lienis, ut infarctus, inflammationes, cutis colorem subflavum, haemorrhoides etc. Et cor, quod ad vasorum venosorum lumina attinet minori ambitu esse videtur, illa enim majora fiunt, dum arteriarum lumina contrahuntur, quo sanguinis circulus tardior, calefactio non tam vivax oritur. In toto corpore organorum actio et conjunctio intima decrescit; functiones non tam perfectae, denique plane denegant. Nam retreditur vegetatio, solum maternum, cum eo maxime arteriositas, tunc venositas, una cum his nutritio, assimilatio, musculorum vigor, cerebrum cum viribus cunctis. Haec est via, quam natura destinavit, nullo modo in malis habendum est. nam enascendo, germinando, maturescendo, secundum naturae rationem interitus continetur. Quod momentum nomine marasmi senilis complectimur, non positum est nisi in viribus magis magisque labentibus, in organorum aequo modo debilitatorum exstinctione. Tunc vero morbosus hic status est nominandus, si ante tempus a natura praescriptum adductus, vitiis antea commissis, modificatur. Ubi igitur in cadavere mortis caussas invenimus, ibi a natura mors non est profecta, sed morbis illata, in alacri pugna natura

ante tempus, homini ad vivendum destinatum, succubuit: quod si accidit, eam sustentare, hominem societati humanae servare, egregium nostrum est et officium et propositum, et in nostra manu atque vi esse debet, tunc etiam summum artis vestigium adepti sumus. Si vero, quia vitae finem contigit, homo moritur, propter vires decretas tanquam indormit ad somnum aeternum, quia omnes functiones non morbose, sed secundum naturam exhaustae actionem denegant: extra artis fines fuit, neque ullo modo fieri potuit, ac si ipse Aesculapius e coelo rediret, ut vita servaretur. Haec est mors beata, tranquilla, egregium saepe officii impleti argumentum, futurarum rerum secura spectatione. Attamen raro tantum hominem invenimus, cujus cuncta organa tam sana fuerint, tam aequaliter deficiant, ut vera functionis sit extinctio, sed ex uno trium focorum primorum organismi, e cerebro, pulmonibus, corde, mox sub signis lenibus, mox impetuosis, prout caussae morbum efficientes vel ad unum praesertim organum amplectendum procliviores fuerint, vel generatim organismum vehementius affecerint, mors proficisci solet.

A systemate reproductivo, ut jam antea memoratum, actionum vitaeque decrementum ad totum organismum transit. Propter dentes deficientes mandicatio difficilis est, cibi igitur non plane confecti in ventriculum mittuntur, ubi praeterea, et in intestinis, propter secretiones diminutas digestionem imperfectam animadvertimus, chylus igitur non tam bonis est viribus, et sanguificatio et nutritio labas-

cunt; quapropter adeps, in aetate media in telam cellulosam depositus resorbetur, quo cum vacent cellulae, corporis volumen diminuitur, macies oritur, musculi quorum fines rugis significantur, magis eminent, cutis amplior et laxior a corpore pendet. Haud aliter et ad ossa non tanta materiarum nutrientium copia pervenit, ex quibus quod resorberi potest, resorbetur; medulla sensim sensimque evanescit, diploes loco substantia ossea formatur; sustentacula, antea tam firma, crescunt et fragilia fiunt. Articulorum ligamenta, cartilagines, corrugantur, ossificant, unde rigiditas, contracturae, anchyloses. Propter ejus cartilagines ossificantes, thoracis extendendi difficultas exsistit, respiratio difficilis. Musculis sanguis, et copia et plasticitate diminutus, advehitur; tela cellulosa inter lacertulos posita, quosque cingens, una cum adipe intercurrente evanescit et tabescit, et robore decrescente undique vel tendinescunt, vel in osseam naturam, vel in adipocire mutantur. Tremor igitur artuum, musculorum debilitas. Neque minus in vasis sanguiferis et energia lapsa et mutatio invicem sese significant: tunicae, fibrae, densiores fiunt, ossificant, ne iis quidem exceptis, quae per pulmones ad cor sanguinem ferunt; quapropter et hac ex caussa respiratio difficilis, suffocationes, oxydatio sanguinis imperfecta, circulus impeditus et retardatus, oriuntur. Quae ossificatio in cordis etiam valvulis invenitur. Vasa minora obliterantur, in quibus his alendis partibus, nutritione haesitante, mumificationem animadvertimus. Una cum secretione, et excretio-

nes, quod ad quantitatem et qualitatem attinet, commutatae sunt. Lotium cum salibus, ureo, calcaria phosphorica nimis saturatum est, ipsaque vesica, caussis noxiis praecedentibus debilitata, pravam profert secretionem, quam vesicae urinariae musculi debiles plane ejicere non possunt; ex quibus materiis remanentibus lapis se format; cui morbo, lithiasi, arthritis est affinis, quorum loco saepe haemorrhoides, prout vel per cutem, vel per renes, vel per anum, quo organa debilitata sunt, materias retentas ejiciendi, major fuit dispositio, in lucem prodeunt. Humores ipsi, propter secretiones retardantes diminuti, in cutem non tantopere invehuntur, quo et pori collabuntur, et exhalatio magis exigua exsistit, acrior fit: itaque cutis sicca, pergamentea, sudores foetentes, pruritus. Pulmones vero, quorum tanta est cum cute sympathia, secretionem ejus diminutam supplere student; in quibus igitur majorem secretionem, dispositionem ad catarrhum, ad statum pituitosum, halitum valde odorantem foetidumque, invenimus. Systema nervosum cum cerebro, organo suo centrali, et ambitu et energia decrescit; meninges spissiores crassioresque fiunt, ossificant; organa sensuum: visus, auditus debilitantur, et functiones sublimiores, primum praesertim memoria non jam valent, ita ut, quid proxime viderit senex, quid dicere velit, ex animo effluxerit, et judicio deficiente, in infantium seriem redeat. A debilitatis nervis paralyses originem ducunt, praesertim intestinorum, organorum uropoëticorum, extremitatum inferiorum.

Vi vitali confecta, calefactione diminuta, pulsu magis magisque evanescente — una modo spiratio, et fax extinguitur. Quae vero partes ab organis centralibus maxime sunt remotae, si gradatim mors ingreditur, primo emoriuntur; gangraena senilis introit, status soporosi, tandem cordis vel cerebri actio resistit.

Si totam vitam humanam, ad res subtiliores non respicientes, leviter consideramus, tria praecipue stadia nobis se offerunt:

1) Stad. incrementi. Corpus e minimo evolutum, ad perfectionem nanciscendam praeparatur. Alia organa, quae usque ad hoc tempus plane nihil agentes, vitam vegetativam traducebant, in organismi seriem, ut adjuvent, provehuntur: alia, quae operam praestare desierunt, removentur: omnia vero, ad unum modo propositum conjuncta, hoc spectant, ut organismum ad floris fastigium ducant.

2) Stad. acmes. Quodsi homo consecutus est, in aetate media versatur, tempore, quo quasi veris extremum aestas excipit. Mens et corpus ad eum, quem in nullo alio animali reperimus, perfectionis gradum pervenerunt, ita ut merito in terra principatum homo teneat. Vis genitalis, ut propagetur genus, summam maturationem adepta est. Metamorphosis quasi resistere videtur, non est enim major perfectio, quam petere possit; insignia mutationis momenta per longum tempus non animadvertimus. Sin vero non omnes homines hoc summum

perfectionis adipiscuntur, sed in inferiori saepe gradu, ab evolutione perfecta tanquam remoti, permanent; hoc positum est, partim in dotibus et facultatibus a natura inaequaliter distributis, partim in educandi non apta ratione, cui omnis culpa est attribuenda, quod multi, ingenio et doctrina excellentes, tam prava habent involucra: quae tantum abest, ut ingenium, in tenera aetate nimis progressum, coerceat, vel corporis actionibus ei resistat, quibus simili ratione organismus conformetur, ut potius cum damno valetudinis, corporis salutis ratione non habita, majores tantum ingenii facultates e parvis hominibus evellere studeat, infantem agrum quasi conductum tractet, quem, ut fructum percipiat conductor, profliget.

3) Stad. decrementi. In decrescente vita, aetate decrepita, involutionibus modo locus est; organa retrogrediuntur, sed alia ad novam actionem non emergunt: quo longius haec involutio procedit, eo magis perfectionis idea removetur refugitque, postremo, dum debilis modo vegetatio restat, vita excedit homo, ut intravit, tanquam planta.

VITAE CURRICULUM.

Ego, Julius Lippert, natus sum Friedlandiae Megalopolitanorum die XXIV. mens. Decembris anno millesimo octingentesimo nono. Mater carissima Henrietta, e gente Jacoby, mihi adhuc divina gratia superstes est. Veteri fidei sum addictus.

Primis literarum elementis duce praeceptore privato imbutus, Gymnasium Friedlandiae petii, quo, ad secundam classem progressus, relicto Gymnasium Berolinense, cui t. t. celeberrimus praefuit Bellermann per annos duos et dimidium frequentavi. A directore celeberrimo Koepke anno MDCCCXXIX maturitatis testimonio instructus, die XXIX mens. Aprilis ab illustrissimo

Klenze t. t. rectore magnifico in universitate Friderica Guilelma in civium academicorum numerum receptus et ab illustrissimo Bartels, t. t. decano facultatis medicae, medicorum ordini adscriptus sum.

Per quadriennium hisce interfui praelectionibus:

Ill. Rudolphi de encyclopaedia medica, de anatomia corporis humani, de anatomia organorum sensuum et foetus, de physiologia. Ill. Knape de osteologia. Ill. Knape et Rudolphi uterque arte cadavera rite dissecandi me instituit. Ill. Hayne de botanice. Ill. Brandt de pharmacologia et materia medica. Ill. Mitscherlich de Chemia. Ill. Hermbstaedt de physice. Ill. Gans de recentissimi aevi historia. Ill. Hotho, de Goethe, de Schlegel etc. Ill. Wiegmann de zoologia. Ill. Wagner de pathologia et therapia. Ill. Jüngken de chirurgia. Ad praxin medicam me instituere viri illustrissimi Barez, Bartels, de Graefe, Rust, Wolff.

Quibus omnibus praeceptoribus illustrissimis optime de me meritis gratias ago quam maximas. Tentamine philosophico et medico, examine rigoroso absolutis, dissertatione thesibusque defensis, fore spero, ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I. *Educationem ab excolendo corpore incipere oportet*

II. *Dentitio non est morbus.*

III. *Sunt morbi hereditarii.*

IV. *Dactylosmileusis digitorum amputationi praeferenda est.*

V. *Morbus est certamen naturae, salutem propugnantis.*

VI. *Rheumatismus et arthritis signo pathognomico certo, quo dignoscantur, carent.*

VII. *Aetas non est contraindicatio venaesectionis.*